

*aut obedire regulae nolit*, manifestatur, quod iste sacerdos per octo gradus duci debet, non per septem, sicut alius monachus non sacerdos,<sup>1)</sup> i. e. primus gradus est secreta admonitio, secundus publica correptio, tertius gradus est excommunicatio simplex, quartus est nimis jejuniis, quintus gradus est, si dignus est, flagellum, sextus gradus est oratio, septimus episcopus, deinde expulsio. Hoc autem quod dicit *si subdi aut obedire nolit* - quasi diceret: si contumax fuerit. Quod enim dicit *non sacerdos, sed rebellis judicetur*; - rebellis enim ipsam malitiam proprie significat, rebellis vero dicitur superbus; nam in hoc loco rebellis pro superbo ponitur, sive, ut Servio placet, rebellis dicitur homo, ipsa vero res rebellio, non rebellatio. Superbia attinet ad illud, si plus petit, quam dignus est, elatio autem ad inflationem attinet, i. e. si pro bonis suis alios despicit.

### Cap. LXIII.

#### DE ORDINE CONGREGATIONIS.

Hactenus B. Benedictus dixit, specialiter in eo, quod prius dixit *noviter veniens ad conversationem*; deinde subjunxit de parvulis et sacerdotibus, qui in monasterio habitare voluerint, et de monachis peregrinis et sacerdotibus monasterii; et nunc, subjunxit de toto corpore monasterii generaliter, cum dicit de ordine congregationis.

Sequitur: *Ordines suos in monasterio ita conservent, ut conversationis tempus et vitae merito<sup>2)</sup> discernit, utque abbas constituerit* - quasi diceret: Sic debent fratres ordines suos custodire, sicut conversi sunt, h. e. intraverunt in monasterium, et vitae meritum, h. e. juxta vitae meritum, utque abbas constituerit, h. e. et sicut abbas constituerit. Istud enim, quod dicitur: *utque abbas constituerit*, duobus modis intelligitur, i. e. sicut abbas cognoverit meritum vitae, quia ille debet cognoscere meritum vitae. Alii sunt qui intelligunt dicentes: tertius gradus est iste, in quo dicitur:

<sup>1)</sup> Monachus *vel* sacerdos. Codd. Divionens. Tegerns. et Mellicens.

<sup>2)</sup> meritum. Cod. Tegerns.